



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 18. Quomodo Petrus ter Christum negauerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)


MEDITATIO
DECIMA OCTAVA.

QUOMODO PETRVS TER
Christum negauerit.
EVANGELIUM.

PETRVS autem erat
 foris in atrio, quem
 cum vidisset ancilla
 ostiaria calefacientem
 se dixit ei: Nunquid
 & tu ex discipulis es hominis istius?
 At ille negauit coram omnibus di-
 ces: Non sum, neque noui illum, ne-
 que scio, quid dicis: Et exiuit foras
 in atrium, & gallus cantauit. Et post
 pusillum alius videns eum dixit: &
 tu de illis es. Et iterum negauit cum
 iuramento, & dixit: O homo non
 sum, nec noui hominem. Et post pu-
 sillum, interuallo facto quasi horæ
 vnius, alius quidam affirmabat di-
 cens: Verè & hic cum illo erat, nam
 & Gali-

Matt. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

Ioan. 18.

& Galilæus est. Et qui astabant, dicebant Petro: Verè & tu ex illis es. Nam & Galilæus es, & loquela tua te manifestum facit. Dixit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Et Petrus iterum negauit dicens: O homo nescio quid dicis, & coepit anathematizare, detestari, & iurare, quia nescio hominem istum quem dicitis. Et continuò gallus iterum cantauit. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus, priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amare.

PROPHETIÆ,

Iob. 19.

ABOMINATI sunt me quondam consilium mei, & quem maxime diligebam, auersatus est me.

Ibidem.

Inquilini domus mei, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum

CONSIDERATIONES.

1. Punctum.

CONSIDERA, quemadmodum Petrus, cum primus ille caritatis ardor

ardor in eo refrigeraret, denique totus frigidus inter improbos satellites stans, se calefecerit. Calefaciebat se bonus Petrus, sed non poterat calefieri: etsi enim corpore adstaret igni, procul tamen aberat à vero illo igne, qui solus potest frigus dissolvere, quo congelabatur anima ipsius. Vide ut Petrus cum abesset à Christo, & se ad ministros Diaboli applicuisset, tentationibus agitetur, usque eò, ut ancillæ vnius verbulo tactus timore mortis vitam neget. Iustissimè sanè permisit Dominus, ut primùm à muliere vinceretur, ad præsumptionem reprimendam, simul ad nostrum exemplum, ut discamus humiliter de nobis sentire, neque nobis admodum fidere.

Considera, quantum detrimenti adferat animæ peccatum, quod non subito per penitentiam emendatur, peccatum enim alterum, alterius pondere attrahitur, ut peccator è malo in peius delabatur, quod apparet in Petro. Is primò simpliciter negat: mox addit periurium: denique periurium cumulat execrationib. & maledictionib. Quid facis Petre? tantanè est improbitas Christi ut pudeat te eius esse discipulū, aut vllò modo nouisse? Vbi nunc sunt illa, quæ paullò antè dicebas: *Domine animam meam*

H

pro

pro te ponam? Non vides dum Principes Sacerdotum, falsa testimonia ad necem tui Magistri quærunt, te primum esse qui tua sententia illum condemnes, ut infimum & improbum hominem.

Considera Christo iam non solum inimicos, sed ipsos etiam amicos augere supplicia, & addere dolorem super dolorem: Primum vehementer doluit, cum ab vno discipulorum se prodi videret: accessit alter dolor, cum relinqueretur ab omnibus; c̄ eniq; dolorem omnem superat, quod nunc videat eum, quem supra omnes extulerat, & tot singularibus ornamentis affecerat, quasi parum de ipso sollicitum stare inter suos inimicos: & quasi dedecori sibi duceret illius discipulum videri; negantem id coram omnibus, cum tanto contemptu & pertinacia.

Considera quanto cū dolore amantissimus IESVS, verticem illum Apostolorum, firmissimam illam columnam tam miserè deiectam & prostratam viderit. Eheu quàm ex intimis visceribus mouebatur ad misericordiam infirmitatis & ruinae sui discipuli. Erat quidē ipse tot carnificibus cinctus, oculos tamē magis in discipulū coniebat, quo modo illi opem ferret, quàm in se, quem

quemadmodum se ipse defenderet. Ut ergo animaduertit iam ruinæ ultimæ proximum esse Petrum (admissa tertia negatione) benignè faciem ad ipsum vertit, & oculis illum gratiæ adspiciens, accendit in obscura mente lucis diuinæ radios, ut Petrus repente in se reuersus, agnitum crimen amare fleret.

Felices, quos tu Domine sic tuis oculis respicis. Illi videlicet diuinis collustrati radijs in secreto mentis suæ, videre possunt vitia sua & animæ suæ maculas. Quam repente illi se ad te conuertunt, quam subito corda ante frigida & dura molliuntur, inflammantur, amore liquefiunt, & suaves ex oculis voluentes lacrymas dicunt: *Domine quid me vis facere?* Sanè nihil magnopere est admirandum, amarè fleuisse Petrum: hoc magis mirum, non dissiliisse præ dolore cor eius, cum apertis sibi à Christo oculis datum esset videre crimen, & cognoscere grauitatem iniuriæ, qua suauissimum sui que amantissimū Magistrum affecisset. Placeat tibi, mi bone IESU, ut illos plenos amoribus oculos paulisper ad animam meam conuertas quæ toties iam deuicta voce ancillæ, id est malignæ carnis, tam ingrata te negauit & offendit.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. quoniam ad eruditionem permisit te se à fidelissimo Apostolo negari, quem deinde oculis Quinque misericordiae respiciens reduxit ad poenitentiam: dignetur etiam te aspicere, & cor tuum illuminare: ut cognita grauitate peccatorum, quibus Maiestatem eius offendisti, dignè ea deflere possis neque in posterum unquam permittat, ut ipsum seu verbis seu facto neges: neque pudeat te illius seruum esse, potius laudes ipsius perpetuò prædices, & ad mortem vsque sanctissimum illius nomen constantissimè profitearis.

DOCUMENTA.

1. **F**UGIENDA est nostri iactantia, neque nostra virtute fidendum: sed viuendum in perpetuo timore & humilitate, ne ruamus, ut Petrus ruit, tamen si vertex esset Apostolorum, omnes etiam caritatis ardore superans.
2. Loca & conuersatio hominum, qui occasionem peccandi præbent, cauendi sunt. Difficile est enim inter improbos esse probum. Petrus certè dum inter Apostolos agebat, mortem pro Christo optabat:

inter

inter Iudaos indignissimè illum negat.

3. Principijs tentationum eundum est obuiam, nec permittendum ut imperfectio quantulacumq; in animo confirmetur, ne in grauiora incidamus. Id cum Petrus negligeret, primò contra Domini consilium dormiuit. Iterum fugit, mox negauit, deniq; periurium & sui ipsius execrationes adiunxit.

4. Lapsi fragilitate in defectum aliquem, non debemus spem abijcere, neq; in illo harere: sed repentiè educere nos, ut Petrus fecit, dolore & pœnitentia, quod commissum est, emendare.

5. Quamdiu in aliqua peccandi occasione hæremus, ne cogitandum quidem est posse nos emendari, aut spiritu proficere. Vt Petrus interim dum est in domo Caipha potest sepe labi in peccatũ, emendare se & amare flere, nisi domo egressus non potest.

6. Negant Christum ad exemplum Petri, qui timore inani, aut utilitatis vel respectu humano cessant loqui de ijs quæ decent, aut virtutis studium in aperto habere, quod studium cum ab omnibus Christiani nominis officium, tum à religionis sua professio exigat. Cogitent illi Saluatoris sententiam. Qui erubescit me *Luc. 9.*
coram hominibus, erubescam & ego

eum coram Patre & Angelis.

7. *Laboremus in eo, ut semper nobis ante oculos versetur imbecillitas nostra: neq; securi simus quod bona voluntatis conscij nobis simus. Instabilis est voluntas, & quavis tentatione mutatur, nisi à Deo seruetur & confirmeur.*

8. *Quamquam è peccato nostris nos viribus sine ope diuina erigere non possumus: tamen serui Christi, qui bona voluntate illi seruiunt, si fortè in defectum aliquem incidant, singulari quodam modo per secretas inspirationes à Spiritu sancto aspiciuntur & subleuantur, quod videmus in Petro.*

MEDI.